

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4951

Auteur(s) : Guillaume Roger, de Saint-Pierre-des-Cercueils [particulier]

Bénéficiaire(s) : Laurent Paine [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1274, mars

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume Roger vend à Laurent Paine 20 sous de rente à Saint-Pierre-des-Cercueils.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCLXXXVI, p. 291-292.

Texte établi d'après a

Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod ego Guillelmus Rogeri, de parrochia Sancti Petri de Sarquieus, vendidi et concessi Laurentio dicto Paine viginti solidos annui redditus, monete usualis, quos Ricardus dictus Feré, de eadem parrochia, michi singulis annis reddere tenebatur, videlicet decem solidos ad festum Beati Michaelis et alios decem solidos ad Natale Domini, de quadem pecia terre quam eidem feodaveram, sita in predicta parrochia, inter terram meam, ex una parte, et terram Thome de Fossa, ex altera : tenendos et habendos dictos viginti solidos annui redditus dicto Laurencio et ejus heredibus de me et heredibus meis, libere et quiete, bene et in pace, absque ulla mei vel heredum meorum de cetero reclamacione. Tenemur etiam jamdictus Guillelmus et heredes mei dicto Laurencio et ejus heredibus dictum redditum, in omnibus locis et curiis, deffendere, garantizare et de omnibus erga omnes dominos aquitare, et ab omnibus impedimentis penitus liberare, et si necesse fuerit in nostro proprio hereditagio, ubicumque fuerit, excambium facere ad valorem. Licebit autem dicto Laurencio et ejus heredibus de predicto redditu, tanquam de suo proprio hereditagio, suam integre facere voluntatem. Licebit eciam eisdem in predicta pecia terre, super quam dictus redditus assignatur, suam justiciam exercere pro redditu et emenda. Et ego jamdictus Guillelmus et heredes mei in predicta terre nichil retinemus nec aliquid reclamabimus in futurum. Si qua vero dampna vel deperdita dictus Laurencius vel heredes sui vel qui dictum redditum de cetero tenebunt aliquo modo occasione hujusmodi incurrerent, ego et mei heredes omnia et singula plenarie tenebimur restaurare. Et super hoc eisdem meos heredes obligo et relinquo in posterum specialiter obligatos. Pro hac venditione et concessione dictus Laurencius dedit michi novem libras turonensium de quibus michi plenarie satisfecit. Ut hoc ratum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam eidem tradidi sigilli mei munimine confirmatam.

Actum anno Domini M° CC° LXX° quarto, mense marcio.